



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

N. Borbonius n. 21

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Iesuitarum causa eò equior, quò ab Hæreticis impugnata. 21. A BORBONIO, In Tolosani Collegij causa, quæ multum habuit dimicationum, ita fauente, vt Hæreticorum quemdam in Senatu ipso coram Rege, ac Parente grauisissimis castigari verbis: adiuiciens, Inde constare Iesuitarum causæ æquitatem, quod eam Hæretici impugnant. Ita ille Par. 3. Hist. Soc. lib. 2. nu. 64.

Doctrina ad ignorantiam remedium nulla præstantior Societatis. 22. A IACOBO SPINOSA Seguntino etiam Episcopo, qui iam dudum cognitam inter exercitationes spiritus Compluti Societatem benigne complexus, cum Ecclesiam suam monitu summi Pontificis (vt Episcopus ille omnes monebat) diligenter visisset, latiusque opinione dominari rerum bonarum inscitiam, & scientiam malarum, actionesque comperisset; habito de remedij viâ consilio, cum assensu Canoniorum, & Cleri decreuerat, Nullam præsentiore offerri, quam Societatis doctrinam. Quod cum stetisset non rogatu modo, sed modesto prope imperio confestim voluit antecursores miti, nostris vtens ad lustrandam suam Diocesim. Ita Ibid. lib. 5. n. 200.

Et Collegia Ciuitatum decus. 23. A BEVILACQVA, etiam Legato Apostolico Perusino, cuius amor in Societatem prope singularis: de qua is ita sentiebat magnificè, atque ita honorificè, cum priuatim, tum publicè loquebatur, vt dici vix queat. Ergo cum de illa, vt fit, sermo incidebat, libere profitebatur, Collegia nostra vbiicumque essent, decus esse Ciuitatum. Sic in liter. Annal. Soc. ann. 1600. fol. 32.

Se. ac suam purpuram in Societatis commodum offert Rupefocaldæ. 24. A RUPEFOCALDA, Qui, cum purpuram recens à summo Pontifice ipsius meritis delatam nostri Scholastici Oratiuncula, triplicique dramate gratularentur, illas Scholasticorum recitationes conclusit ipse eleganti clausula, verbisque grauisissimis in nobili confesso significauit, Si quid hac dignitatis accessione sibi accederet facultatis, id omne ad Societatis nostræ commoda collocaturum. Ita in Annal. Soc. ann. 1607. fol. 597.

Gerardus Card. Sociorum adspèctum quasi Angelorum letabatur. 25. A GERARDO GROSBEQVIO Eburonum etiam Antislite, & de Purpuratorum Patrum Senatu. Is Belgas Patres Louanio in ditionem suam inuitare solitus, adeo præsentium letabatur adspèctum, quasi non Homines, sed Hominum Tutelares Angelos accepisset. Tum demum ponebat curas, quas pro religionis incolumitate maximas gerebat, satis ei consultum arbitratu quandiu adessent